

mora diuturnior pericula inopinata afferat vobis et cuilibet vestrum notificandum duximus et praesentibus notificamus, quod ipso die sancti Jeronimi in Proschowicze, Sandomiriae vero pro feria tertia post festum nunc instans sancti Francisci proxima constituemur, illicque conventionem ipsam celebrandam indicimus et celebrabimus. Quapropter vobis et vestrum cuilibet mandamus districtius praecipientes, ut debitam nobis oboedientiam praestando ac suae nobilitatis rationem habendo, quilibet vestrum ad praefatum locum pro tempore superius expresso una nobiscum, pro salute reipublicae ac evitando atroci ab hostibus immanissimis periculo consulturus veniat, vel nuntios ex districtu vestro, ne omnibus tam remote veniendum opus sit, mittatis. Et quicumque vestrum id ipsum facere neglexerit, neglector salutis reipublicae et nobis inoboediens cum dedecore suo reputabitur; atque ideo secus facere non ausuri, nec quispiam vestrum facere audeat. Praesentes autem litteras in modum restium alter ad alterum transmittat sub poena nostra regali, ultimus vero easdem loci capitaneo restituat sub indignatione et poena duplata regali.

Datum Cracoviae, feria quarta post festum Exaltationis Sanctae Crucis proxima anno Domini millesimo quingentesimo quinto [17 IX 1505], regni vero nostri anno quarto.

XII

SEJM LUBELSKI 1506 R.

Ostatniego dnia obrad sejm ten wydał również wici, później ponowione, a mianowicie:

A. Litterae restium in vim ultimarum, per Cracoviensem, Sandomiriensem, Lublinensem et Russiae terras missae, z 1506 r., bez daty dziennej i miesięcznej, prawdopodobnie, z 26 lutego¹.

B. Litterae restium per Cracoviensem, Sandomiriensem, Lublinensem et Russiae terras datae, z 18 marca 1506 r.²

A. LITTERAE RESTIUM IN VIM ULTIMARUM PER CRACOVIENSEM, SANDOMIRIENSEM, LUBLINENSEM ET RUSSIAE TERRAS MISSAE

Alexander Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae Prussiaeque dominus et heres. Univerisis et singulis subditis nostris ad bellicam expeditionem de iure consuetudine et constitutione obligatis, praesertim in palatinatu Cracoviensi et districtu eiusdem ubilibet constitutis, praesentibus requirentes sincere et fidelibus nostris dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famosi et providi sincere et fideles nostri dilecti! Quoniam humanum est ac rationabile, ut se quisque, dum potest, tueatur, ne turpiter ut exitus brutum pereat, ita decrevimus cum consiliariis nostris in conventu generali Lublinensi ut quotiens opus esset atque neccesitas exigetur, totiens omnes terrae regni nostri et maxime hosti ac periculis proximiores ad defensionem moverentur. Cum autem neccesitatem fore ex hiis, quae nobis nuntiantur, de hostis praeparatione ad vastandum denuo regnum scimus, nolumus negligere, ut hostis nos improvisos ac incautos, uti saepe aliter factum est, deprehendat praesertimque crudeliora mala prioribus ab eodem hoste machinante formidantes, vobis omnibus et singulis de iure communi ad bellicum servitium obligatis strictissime mandamus et praecipimus, quatinus (si qua ita urgens neccesitas poposcerit) ad monitionem et mandatum magnifici Spithkonis de Jaroslaw, castellani Cracoviensis et vicesgerentis nostri, curribus et aliis impedimentis posthabitis sub poena irremissibili contra absentes a bello statuta ad locum vobis

¹ Por. Akta Aleksandra, poz. 309, s. 518, 519. Tekst ten, zawarty w MK, t. 22, k. 86 v. (AGAD, mkrf. 640), skopiowany został przez I. Dwornicką i skolacjonowany z udziałem R. Zawadzkiego.

² Por. Akta Aleksandra, poz. 315, s. 528, 529. Tekst zawarty w MK, t. 22, k. 83 v. został skopiowany i skolacjonowany, jak powyższy, z mikrofilmem AGAD, nr 640.

deputandum acceleranter acurratis et veniant [*sic*]. Tametsi ex hac fama, quae de hoste nuntiantur, iam nunc opus esset, ut quilibet nedum paratus domi ad defensionem existeret, sed potius iam campestraliter iaceret^a, tamen considerando incommoda, quibus homines hisce temporibus in campo iacentes possent affici, decrevimus non praecipitantes terrarum motionem facere absque urgente, ut praemissum est, necessitate, ad quam quemlibet volumus esse semper et omni hora paratum, sed tamen ne sine praeparatione ad defensionem simus mandamus vobis omnibus et singulis ut pro dominico die intra octavas festi Sacratissimi Corporis Christi proxime venturi circa villam nostram Medica, in terra Premisliensi sitam sub poenis statutis contra absentes a bello vos, congregetis et statuatis, et quilibet vestrum se statuatur, has praesentes restes sive nostrum mandatum pro ultimo et peremptorio habentes. Et prout tunc praefatus vicesgerens noster cum campiductoribus vos direxerit et ad defensionem adhibuerit, ita eidem oboediatis sicuti nobis ipsis. Secus vero facientes omni gratia post habita puniemus. Litteras autem praesentes restium alter alteri sub poena vitae et amissione bonorum dirigat ultimus vero easdem capitaneo suo repraesentet. Secus faciens poena supra memorata puniendus. Datum per manus reverendi in Christo patris domini Mathiae, episcopi Premisliensis et regni nostri vicecancellarii, ad mandatum nostrum speciale in Lublyn factum anno Domini millesimo quingentesimo sexto [1506].

B. LITTERAE RESTIUM PER CRACOVIENSEM, SANDOMIRIENSEM, LUBLINENSEM ET RUSSIAE TERRAS DATAE

Alexander Dei gratia etc. Poloniae rex. Universis et singulis subditis nostris ad bellicam expeditionem de iure, consuetudine et constitutione obligatis et praesertim in palatinatu Cracoviensi et districtu eiusdem constitutis praesentibus requirentes sincere et fidelibus nostris dilectis gratiam regiam. Magnifici, generosi, nobiles famosi et providi sincere et fideles nostri dilecti! Dum hunc conventum ad praeparandum defensionem huic pereunti regno hic in Lublin celebraremus, pro certo nobis nuntiatum accepimus Thartaros, hostes nostros, in campis regno propinquius paratos iacere intendere quae quamprimum nives dissolverentur et commodam occasionem haberent, ut regnum invadant et solito crudelius populentur et vastent et, quod terribilius est, ut pro certo nobis pridie ab exploratoribus nuntiatum est, hostem scilicet praefatum velle et comminari tentoria sua ante Cracoviam vel Lublin brevi, quod Deus avertat, erigere. Ne itaque per incuriam et negligentiam imprudenter nos periculo committamus, tametsi ipsimet rebus maximis exigentibus in Lithwaniam proficiscimur, tamen ob defensionem necessariam vicesgerentem nostrum de consilio consiliariorum nostrorum magnificum Spithkonem de Jaroslaw, castellanum Cracoviensem, constituimus, cui movendi terras ad defensionem eidemque omnia in exercitu una cum campiductoribus regni magnificis, videlicet Nicolao de Camyeniecz, palatino Sandomiriensi, et Stanislawo de Chodecz, regni nostri marschalco, dirigendi puniendi et exercendi auctoritatem omnimodam concessimus. Quocirca vobis omnibus et singulis quorum interest bellicam expeditionem de iure servire debitam mandamus et strictissime praecipimus, quatinus in^a cum bellico apparatu iuxta constitutiones, tam in Pyotrokouiensi, quam hic in Lublinensi conventionibus generalibus editas et constitutas sub bonorum et vitae amissione^b, constitutionibus tamen, quibus profectio ordinata est, per omnia servatis. Secus vero quicumque fecerit, iuxta statuti constitutionem irremissibiliter per vicesgerentem puniatur. Litteras autem praesentes restium unus ad alium sibi viciniorem sub poena vitae celerius et sine ulla mora dirigat, ultimus vero easdem suo castellano restituat. Datum in conventionione generali Lubliniensi feria iiiia [quarta] proxima post festum sancti Gregorii, anno Domini millesimo quingentesimo sexto [18 III 1506], regni vero nostri quinto.

^a *W rękopisie*: iacetur.

^a *Następuje wolne miejsce.* ^b *Na marginesie dopisek*: vos conferat[is].